

CCXVII.

Anno 1683. 26. Julii. Passavii.

Leopoldus Rex intemeratam Croatorum fidelitatem summis extollit laudibus, eosdemque provocat, ut in unione cum aliis caesareis copiis defensionis Austriacarum et Regni Croatiae terrarum studeant.

Spectabiles, Magnifici, Generosi, Fideles dilecti. Illibatam et Continuum junclyti Regni Croatiae fidem, et Ordinum horum intemeratam pro re Christiana tuenda Constantiam, et Nostri Gloriosi probauerunt Praedecesores, Nosque ipsi hoc praecipue exulcerato tempore gratanter experimur. Non eos, ut reliquos, in transversum et ignominiosam juramenti praestiti oblivionem agit immanissimi Turcae Pacifragium, Non allicit illius uenenosus Suasus in perfidorum multorum Hungarorum Coalescentem Societatem, neque deturbat eos a Statu unitae fidelitatis Turcarum praesentanea Violentia, truculenta in Regna et Provincias Nostras jruptio, aut ipsiusmet Metropolis Austriae Urbis Viennensis obsidio, et quaquaversum illata foeda Vastatio. Gratulamur proinde Nobis de tam fidis et juramenti atque Obligationis Naturalis tam tenacibus Subditis, Vobis autem ob Vestram per omnis aetatis memoriam in toto Christiano Orbe depraedicandam Constantiam, Neque dubitamus, quin his et alijs a fidelium ope expectatis Subsidijs truculentissimi hostis perfidia in propriam Sui Confusionem proxime sit retundenda. Nequaquam enim in Solatij Vicem celare Vos uolumus, undecunque tam ex Provincijs Nostris haereditarijs, quam ex Imperio Romano Confluere Auxilia, quibus Nostrates aductos hostem a muris Viennae, quae fortissime etiamnum hostiles insultus repellit, quin jmo ex Omnibus Austriae et Regni Nostri Hungariae partibus exturbare posse Confidimus. Adsunt in Styria quoque tres integrae legiones cum varijs et multis Supplementis; aduenient Copiae Archi-Episcopi Salsburgensis; Consilio et gnava sua Experientia assistet Campi Vice Marescalus Noster Comes Strasoldius, a Nobis gubernationi Urbis Graecensis deputatus; Miles insuper Noster una cum numerosis Auxiliarijs ad radicem Montium Styriacorum sistere se cogitat, ut et Vestra facilius tueri seque cum Copijs interioribus ad succurendum obsessae Urbis Viennensis conjungere queat. Jugis itaque et exacta Correspondentia inter Vos, Ministros Nostros Graecenses, atque ipsum Nostrum Armorum Ducem Generalem Principem Lotharingiae opus est, ut Consilijs, animis et propositis junctis pro Austriacis et Regni Nostri Croatici terris, quas uno et non dissimili affectu paterno complectimur, pro instituto et fidelitate Majorum fortissime pugnetis. Nos sane Graecensibus Nostris Consiliarijs stricte et serio commisimus, ut in omnibus Vobiscum confidentissime communicent; et quatenus provinciae illae pollent, ope omni possibili Vobis praesto sint et ad-